





41.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS CHYMICO-  
MEDICA  
DE  
RADICE SAPONARIAE

QVAM CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHENVSER

MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE REGIAE BORVSS.  
SODALE ET ACAD. ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENT. VTL.  
ASSESSORE, VNIVERS. H. T. RECTORE ET FACVLT.  
MED. DECANO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS

D. OCTOBRIS M D C C L X.

H. L. Q. C.

DEFENDET

A V C T O R

ERNESTVS RVDOLPHVS SCHLINCKE

FRAVENSTADIO - POLONVS.

---

FRANCOFVRTI CIS VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REC. TYPOG.



V I R O

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIEN-  
TISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

D O M I N O

CHRISTIANO ANDREAE  
COTHENIO

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS  
CONSILIARIO INTIMO ET ARCHIATRO, SUPREMI  
MEDICORVM COLLEGII DECANO, COLLEGII ME-  
DICO - CHIRVRGICI BEROLINENSIS DIRECTORI,  
COHORTIVM BELLICARVM MEDICO PRIMARIO  
AC DIRIGENTI, ORPHANOTROPHEI POTSDAM-  
PIENSIS MEDICO ORDINARIO, VRBIS ET VARIO-  
RVM CIRCVLORVM PHYSICO, ACADEMIAE CAE-  
SAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET REGIAE  
SCIENTIARVM BEROLINENSIS SO-  
DALI &c.

A 2

PA-

PATRONO SVO OMNI HONORIS ET OB-  
SERVANTIAE CVLTV PROSEQVENDO

LEVIDENSE HOC OPVSCVLVM INAVGVRALE

IN PVBLICVM PIETATIS AC REVERENTIAE  
DOCVMENTVM

CONSECRAT

ERNESTVS RYDOLPHVS SCHLINCKE.

DIS-



DISSERTATIO INAVGVRALIS CHYMICO-  
MEDICA

DE

RADICE SAPONARIAE.

---

P R O O E M I V M .


 omnium quamplurimi, rerum medicarum ignari, nec pauci pariter inter ipsos artis salutaris cultores pharmaca rariora, exotica ac pretiosa excellentioribus plerumque viribus donata, adeoque indigenis, vilioribus et ubique obviis praefereenda esse opinantur; at, mere hanc opinionem praeiudicatum

A 3

catam



cata[m] esse, ratio et multiplex experientia,  
tam chymica, quam medica, dudum docue-  
runt. Inter plantas sane earumque partes,  
quas nostra tellus medentibus largissime foe-  
neratur, ac gratis hinc inde colligentibus of-  
fert, numerosissimae occurunt, quae similis  
aut analogae naturae exoticis, iisque longe  
maiori interdum pretio comparandis, intuitu  
energiae medicae palmam praeripiunt, vel  
perfecte ad minimum iisdem aequiparari pos-  
sunt. Multa omnino ac varia mihi suppe-  
tunt huius veritatis documenta, quae singu-  
la tam[en], arctioribus hac vice limitibus cir-  
cumseptus, allegare et nequeo et nolo, sed  
dieta unico duntaxat *Radicis Saponariae ex-*  
*emplo ulterius corroborare annitar.* Quo  
decentem autem et tractationi convenientis-  
simum ordinem sequar, brevem primo totius  
plantae descriptionem botanicam praemit-  
tam, eidemque postea examen chemicum,  
cum radice suscep[t]um, subiungam, et potio-  
res tandem vires medicas, quibus haec poste-  
rior, radix videlicet, praedita reperitur,  
recensebo.




§. I.



§. I.

SAPONARIA OFFICINARVM a Botanico-  
rum nonnullis, MORISONIO v. g. et  
TOURNEFORTIO, inter Lychnidis spe-  
cies reposita, ab aliis, LINNAEO scilicet,  
HALLERO &c., ad peculiare quoddam genus, et iure  
quidem meritoque, relata fuit. Nam licet saponari-  
ami et lychnidis species magna similitudo, tam flo-  
ris, quam totius habitus externi respe&tu, intercedat,  
et haec etiam atque illa numero staminum denario et  
petalorum quinario inter se convenient, saponariam  
tamen, structura floris accuratius considerata, a lych-  
nide omnino separandam esse adparet. Saponariae  
videlicet flores duobus duntaxat stylis et stigmatibus  
instructi sunt, in lychnidis vero speciebus singuli fl-  
ores quinque stylos totidemque stigmata obtinent:


Peri-



Perianthium practerea, quod saponariae flores ambit, figuram magis minusve oblongam habet, apud lychnides ex adverso illud subrotundum ac magis minusve inflatum reperitur, et petala denique, e quibus saponariae flores constant, unguibus angulosis gaudent, in lychnidum autem speciebus illa planis unguibus donata conspicuntur.

## §. II.

Saponariae genus, praeter saponariam officinam, plures adhuc species sub se complectitur, quarum singulas tamen hoc loco enarrare supersedeo, et illam solummodo, quam, uti dictum, officinae pharmaceuticae recipiunt et adservant, paullo uberiori scrutinio submittam. In Germania haec ipsa, Silesia, Bohemia, Helvetia, Anglia aliisque temperatoribus Europae regionibus non tantum sponte, locis humidiusculis ac herbidis, maxime vero iuxta rivulos et amnes, nec non in salicetis, crescit; sed hinc inde etiam in hortis colitur, et CASPARI BAVHINO *Pin.* 206. Saponaria maior laevis, IOHANNI autem BAVHINO *Hist. plantar. III.* 346. Saponaria vulgaris audit. A TOURNEOFORTIO, qui eidem, sicuti paullo ante commemoratum fuit, inter lychnidis species locum assignavit, *Instit. rei herb.* 336. Lychnis sylvestris, quae



quae Saponaria vulgo; a LINNAEO Hort. Cliff. 165.  
et Spec. plantar. p. 408. Saponaria calycibus cylindricis,  
foliis, ovato-lanceolatis et ab HALLERO Enum.  
stirp. Helvet. 378. Saponaria foliis trinerviis, floribus  
umbellatis vocatur. Solet quoque haec planta iuxta  
vulgarem denominationem *Herba fullonum*, *Lychnis fullo-*  
*nia* et *lanaria* ab usu, quem folia praestant a), appellari,  
immo sunt Botanicorum nonnulli, qui eam pro  
*Struthio dioscoridis* agnoscunt; quae opinio au-  
tem, vel rectius, coniectura num consentanea sit veri-  
tati, nec ne, disquirere hoc loco, instituti ratio mini-  
me permittit.

### §. III.

Nominum praecipuorum recensionem brevis  
huius plantae quoad singulas partes descriptio excipiat,  
quae sequens est: Radices, quae illam sustinent, lon-  
B gae

a) „Saponaria, BOECLERVS in *Cynosura Mat.*  
„med. Tom. II. P. I. cap. 6. p. 472. scribit, appella-  
„tur, quod Saponis instar spumeat, σπεδίων, STRV-  
„THIVM a verbo σπηθίεσθαι, quod graecis est lanas  
„purgare et candidas facere. LANARIA, quod ea  
„mediante mundentur Lanae, LYCHNIS SAPONA-  
„RIA dicta, LYCHNIS FULLONIA, HERBA FVL-  
„LONVM, Seiffenkraut, Waschkraut, ab extergendi fa-  
„cultate, qua saponis ritu pannos eluit purgatque, &c.



gae sunt, tenues, ramosae, fibrosae, coloris extus spadicei, intus albi, perennes atque reptantes. E radice caules adsurgunt recti, cubitales, nonnihil villosi, rubentes, quibus folia adhaerent numerosa, eaque ovato-lanceolata, in apice acuminata, sessilia, rigidiuscula, tribus nervis, longitudinaliter per totam folii superficiem decurrentibus, distincta, glabra caeteroquin, integerima, opposita, succo saponaceo abstergente impraegnata. Flores, qui Iunio potissimum ac Julio conspiciuntur, et colore ex albo carneum obrinent, pentapetali sunt, regulares, caryophyllaei, singulis petalis squama ornatis ac parte sua inferiori et angustiori angulatis, perianthio tubulo quinquefido cincti, et in umbellam dispositi. Abeunt hi flores post petalorum defluxum in fructum unilocularem, oblongo-cylindricum, seminibus foetum plurimis, minutis, rotundo-compressis, quae, ubi ad maturitatem pervenerunt, colorem fuscum consequuntur.

#### §. IV.

Praenissis potioribus, formam totius plantae et onomatologiam concernentibus, ad radicem, quam solam

a) Numerus petalorum huius floris adeo nonnunquam augescit, ut plenus evadat. Haec varietas sive Saponaria flore pleno tum in hortis obvia est, tum paucim etiam sponte crescit.



solam hac vice tractationis obiectum constitui, revertar. Saporem haec ipsa debilem acrisculum possidet, qui initio tamen vix aut ne vix sentitur, sed post aliquam demum manductionem gustus organon afficeret incipit, et postea in ore aliquamdiu perdurat, nullum vero odorem, sive integra, sive in frustula dissecta naribus admoveatur, emittit; unde, eam non adeo singulari principio volatili instructam esse, concludi posse arbitror. Non nititur quoque hoc adserendum solo radicis odore, sed humida pariter destillatio illud confirmat. Aqua enim ab illa in cucurbita blando calore abstracta, debili tantum odore nauseoso ac simili sapore gaudet, adeoque exigua admodum virtute praedita videtur: Compensant tamen hunc defectum egregia ac valde activa principia fixa gummea ac resinosae, quae ulteriori analysi chemica, infusione nimis et extractione cum aqua, spiritu vini et vino deteguntur. Experimenta fuerunt sequentia:


- I. Radix exsiccata, in frustula minora discissa et protractiori cum aqua simplici digestioni calidae subiecta, infusum coloris aurei et odoris nauseosi praebevit, quod degustatum initio saporem subdulcem ingratum et lenissime amaricantem, deinde vero subtilem, mediocriter acrem, altius tamen penetrantem, ac satis diu cum tempora-



rio incremento perseverantem, linguae imprimebat. Suscepta postmodum blanda huius infusi evaporatione, extractum subflavo-fuscum, odore debili ac parum grato balsamico donatum, in concha relictum fuit, quod nullo amplius sapore amaricante, sed primum subdulci et acriusculo, deinde acri fortiori ac valde penetrante gaudebat, et, radicis pimpinellae recentioris, quin piperis propemodum instar, subtilis ac vividae puncturae et cuiusdam quasi ardoris sensum per aliquot horae minuta in lingua, faucibus, atque palato excitabat. Ex uncia radicis dimidia drachmatum unam et grana triginta sex huius extracti impetravi.

II. Tinctura spirituosa, decenti pariter digestione calida cum vulgari spiritu vini rectificatissimo parata, itidem aureo colore tincta cernitur, et saporem quoque ex subdulci acrem, cui initio tamen austriusculi quidquam atque amaricantis admixtum sentitur, obtinet, nullum vero odorrem, nisi solius spiritus vini, spirat. A credo memorata in extracto subfusco-aurantio ac parum quoque odoro notabiliter increscit, ac multo adhuc maior, quam in extracto aquoso, comprehenditur, immo altius in fibrarum nervearum com-


pageim



pagem penetrat, et diutius illas ardore quodam atque subtili punctura adfligit. Inhaeret tamen radici resinosa haec substantia longe minori quantitate, quam gummea, et uncia igitur radicis dimidia mihi solummodo drachmam dimidiam et grana quinque dedit.

III. Post filtrationem infusi tam aquosi, quam spirituosi, quod minime silentio praetermittendum duxi, exigua materiae cuiusdam mucilagineae quantitas in charta bibula remanet. Substantia haec intuitu virium medicarum nullius quidem momenti esse videtur, aliquam tamen hoc loco annotationem meretur, quoniam inter principia radicis constitutiva militat, nec in spiritu vini, nec aqua perfecte ac ita tenuiter solvitur, ut chartae bibulae poros simul cum solutis reliquis principiis permeare queat.

IV. Extractum vinosum, cum vulgari scilicet vino Gallico ex aequali radicis quantitate paratum, pondere suo praecedentia extracta aquosa et spirituosa longe superat, et colorem sordide flavum, odorem debilem et nonnihil ingratum acidulo-balsamicum, atque saporem, ex subdulci et acidulo mixtum, in recessu austriuscum simul et



subadstringentem, possidet, subtili autem, penetrante ac stricte sic dicta acredine, qua priora extracta pollent, penitus destituitur; manifesto documento, immixtas vini partes fixiores gumeo-resinoso-tartareae non tantum pondus notabiliter augere, sed nativam pariter radicis substantiam activam obtundere, involvere, invertere ac magis minusve proprietatibus suis privare.

### §. V.

A principiis radicis, quod paucis hoc loco inferere expedit, fixa foliorum elementa valde quoad saporem ac genium recedunt. Nam fuscum eorum extractum aquosum odore suo rob sambuci nonnihil aemulatur, ac satis forti sapore amaro, cui nulla prorsus acredo sociata reperitur, gaudet. Amarities haec nigricanti pariter ac melleo-ceracei odoris extracto spirituoso propria est, paullo remissior tamen et cum aliqua, sensim sub degustatione incremente, acredine mixta deprehenditur, immo sapor amaricans in nigricante extracto vinoso saporis subacido iunctus sentitur.

### §. VI.

Ex hactenus descriptis minusque operosis examinibus chemicis, cum radice susceptis, negotio facili



facili conjectaria varia deduci, et inde clarissimis intelligi posse arbitror:

- I. Radicem saponariae multas partes gummosas, promite sub coctione cum aqua atque perfecte solubiles, pauciores resinofas, et paucissimas mucilagineo - glutinosas in mixtione sua fovere; nullo singulari autem et commemoratione digno principio volatili instructam esse.
- II. Substantiam gummeam ac resinofam valde acti-  
vam esse, hanc tamen acredine priorem paullu-  
lum superare.
- III. A fixis hisce acribusque elementis resinoso-  
gummeis totam huius radicis virtutem medicam  
dependere, nec quicquam prouersus, aut valde ta-  
men parum volatilibus et sub coctione demum,  
infusione et evaporatione cognoscendis particu-  
lis odoratis tribuendum esse.
- IV. Optime ideo radicem hanc sub forma decocti  
aquosi interne adhiberi, minus bene ex adverso  
infusa vinosa ingredi, quoniam subtilis ac pene-  
trans acredo, cui virtus unice, uti vix dictum  
fuit, vel tamen praecipue adscribenda venit, a  
gum-



gummeo - resino - tartareis menstrui elementis  
adeo destruitur, vel ita ad minimum deprimitur,  
ut sese amplius sub degustatione manifestare ne-  
queat.

### §. VII.

Sed satis nunc de principiis subiecti nostri activis  
dictum credo, et meam ideo tractationem ad alterum  
praesentis laboris momentum, ad modi nempe ope-  
randi viriumque medicarum expositionem specialem,  
transferri posse, opinor. De modo operandi in cor-  
pore humano vivo sequentem mihi conceptum for-  
mo: Quando fixae particulae gummeae et tenerio-  
res pariter resinofae, sub coctione radicis cum aqua  
tum solutae penitus, tum saltim avulsae, in ventricu-  
lum et intestina indeque postmodum ad sanguinem  
caeterosque humores cum aquo suo vehiculo defe-  
runtur, parum quidem, per se scilicet consideratae, in  
fluida agunt, sed tela sua hinc inde in partes solidas  
vibrant, ac vividos illis iteratosque stimulos imprimum;  
hinc aliter omnino fieri nequit, quin contractio earum  
ubique celerior non minus, quam validior evadat, et cir-  
culi proinde humorum velocitas, cum necessaria con-  
quassatione, ac meliori se- et excretionum successu,  
augmentatur. Et inde etiam, ex motu nimirum partium  
solidarum ac fluidarum auctiori reddito, omnes ac  
singuli.



singulae virtutes, quae radici huic a Medicis adscribuntur, eidemque iure etiam, abunde istud confirmante experientia, competunt, unice deducendae et explicandae sunt.

### §. VIII.

Inter memoratas virtutes autem virtus *attenuans*, et ex illa protinus rursum fluens *aperitiva* primum locum merentur. Prior validiori humorum compresione ac conquaßatione, fortiori attritu intestino ac velociori progresu, posterior autem egregia resolutione, quae dictos motus sequitur ac necessario sequi debet, praecipue nititur. Probe caeteroquin circa aperitivam virtutem notandum venit, usum huius radicis in viscerum, glandularum aliarumque partium obstructionibus minime promiscuum existere, sed semper ad proximam atque formalem oppilationis causam respiciendum esse. Optime nimirum conductit, quando partium solidarum flacciditas, atonia, languidaque contractio, et humorum lento, muciditas, viscositas atque coagulum praeternaturali succorum quieti et refractariae inhaesioni occasionem praebent: Secus vero iudicandum, et ab usu huius remedii abstinentendum erit, quoties humores tenues admodum, acres, ac fervidi sunt, et partes solidae spasmo insolenti laborant, adeoque violenta vasculorum contrac-

C

tione



ctione naturalem meandi ac remeandi libertatem tollunt. Nam, dum pharmacum hoc, uti ex antecedentibus constat, operationem suam irritando absolvit, in clara protinus luce positum esse arbitror, non minuerre illud insolentiores solidorum contractiones, sed magis intendere, ac maius proinde obstructionis augmentum procurare. Nolo tamen dicta nimium rigorose accipi: Siquidem leviori tantum spasmo et magna ex adverso humorum viscositate praesente, radix haec, praesertim sub forma diffusiori, uti moris est, usurpatā, tutum omnino locum invenit.

## S. IX.

Attenuandi aperiendique viribus *diureticæ, emmenagogæ et pectorales* haud minores reperiuntur, et aequæ pariter, ac illæ a vivida partium solidarum irritatione motuumque naturalium incremento derivandæ sunt. Vnde usus quoque huius medicamenti in variis renum, vesicæ, uteri et pectoris morbis, ischuria v. g. ac dysuria, calculo, defectu et suppressione fluxus menstrui, fluore albo, tussi, asthmate &c, valde proficuus deprehenditur. Tenendae tamen sunt cautelæ antea indicatae et debite apud individua, morbis memoratis correptâ, partium tam solidarum, quam fluidarum conditio consideranda est. Facile enim ex operandi modo intelligitur, tunc saltim hoc pharmacum



cum tuto atque cum ratione adhiberi, quando dictae similesque aegritudines motuum languori et viscidae mucidaeque humorum dyscrasiae praecipuam originem debent, parum ex adverso conducere, quin detrimenti quicquam inde metuendum esse, si illae causas plane contrarias agnoscant.

§. X.

Viribus radicis nostrae, haec tenus laudatis et frequentissima dudum experientia confirmatis, virtus de-  
nique *diaphoretica* et *sanguinem* simul *lymphamque purifi-  
cans* iungenda venit. Egregia sane haec ipsa et mor-  
borum quoque intuitu amplissima est. Non solum  
modo enim saponariae radix in vulgaribus adfectibus  
scabiosis conductit, sed auxilium quoque eximium in le-  
pra, scorbuto, pathematis rheumaticis, catarrhalis-  
bus et arthriticis, leucophlegmatia, oedemate mem-  
brorum et lue venerea praefstat, ac longe in morbo  
postremo decantatissimas et pretiosas radices chiae  
et sarsaparillae activitate sua superat. Non addo haec,  
ut maioribus dyntaxat encomiis praesens subiectum  
nostrum exornem, sed ratione et iterata certaque ex-  
perientia commotus: Nam radix sarsaparillae, sicuti  
analysis chemica a), abunde monstravit, valde debilia

C 2 prin-

a) Quo veritas adserti clarius hoc loco elucescat,  
experimenta, a *Magnifice Domino PRAESIDE* olim



principia activa possidet, et chiae radix adeo inertibus elementis instructa reperitur, ut nulla propemodum actio medica ab illa exspectanda sit. Scio quidem

cum utraque radice suscepit, et in *Materiae medicae Parte posteriori Sect. XIII. Cap. 7.* descripta, hic subiungenda ipsissimumque rursum verbis enarranda duco. Fuerunt autem sequentia:

- I. Infusum *radicis Chiae aquosum*, licet rubro colore tintum sit, nauseosum saltē et vix sensibilem balsamicum odorem spirat, vappidumque saporem, instar aquae simplicis tepidae, possidet. Inspissatum extractum fusco-rubicundum deterioris ferme conditionis est, et odore non minus quam sapore destituitur. Tinctura spirituosa prima, quae aureo colore gaudet, itidem insipida penitus atque inodora est, et evaporata flavo-rubescētem massam relinquit, in qua levia saltē odoris et saporis balsamici nauseosi vestigia notantur &c.
- II. Obscure rubrum *radicis Sarsaparillae extractum spirituorum primum*, ex rubella tinctura evaporando paratum, odore pruna cocta aemulatur, et amaricantem, balsamicum nauseosum atque subacrem saporem linguae imprimit. Sapor subacris in recessu demum sese manifestat, et fauces atque palatum aliquamdiu afficit; amaricans remissior est, et balsamicus denique deprehenditur lenissimus. In infuso et extracto aquoso primo nihil ferme virtutis latet, et utrumque sapore notabili destituitur, odoremque solummodo nauseosum spirat &c.



dem, medicorum singulos in hac parte mecum haud-  
quaquam fore consentientes; ast scio etiam, dissensum  
eorum fundamento carere, et vulgarem radicis poste-  
rioris aestimationem sola opinione praeiudicata niti.

### §. XI.

Optime haec radix, sicuti in antecedentibus pri-  
dem reruli, in decocto aquoso, eoque nunc saturiori,  
nunc diffusori, interne usurpatur. Aqua enim partes  
activas gummosas facile solvit, et sub ebullitione te-  
neriores quoque particulas resinosas avellit, quae gum-  
meis postea mixtae virtutem notabiliter intendunt, im-  
mo ipsa aqua, copiosius hac ratione hausta, diluendi sua  
facultate multum ad augendas vires attenuantes, ape-  
ritivas, diaphoreticas et diureticas confert. Spbinde  
etiam infusa theiformia ingreditur, quae energiae tamen  
intuitu decocto, praesertim saturiori, inferiora sunt.

### §. XII.

De usu externo nihil singulare dicendum inve-  
nio, quoniam vires medicae, quae vulgo a Scriptori-  
bus saponariae extrinsecus adhibitae tribuuntur, non  
radici, sed foliis, quae, testantibus examinibus supra  
expositis, amara adeoque satis distincta principia con-  
tinent, et propter indolem saponaceam abstergendi  
magis, quam irritandi virtute donata inveniuntur, pree-  
cipue competunt. „Decocta herba, BOECLERVScri-




*scribit a), „optimum porrigit abstergens et exsiccans  
„scabiem et ulceram; maculas quoque lividas et coeru-  
„leas a contusione pellit, cosmeticumque praebet re-  
„medium, ad nitorem cuti conciliandum. Ptarmica  
„quoque est, discutit tumores, et cephalalgiam fistit, in  
„forma cataplasmatis adhibita. Adhibetur ad sapo-  
„nes manuarios. Radix saponariae iuvare dicitur eos,  
„quibus in thorace et pulmonibus fistulae sunt, admo-  
„ta et injecta.*

### §. XIII.

Nullum ex hac radice praeparatum in officinis  
pharmaceuticis prostat venale, recipi tamen pro meo  
iudicio et frequentius in usum trahi meretur extra-  
etum, praesertim cum aqua simplici, spiritu vini non-  
nihil remixta, paratum; quippe quod, si in vase probe  
munito et loco frigidiusculo adservetur, ac redinem  
suam indeque pendentes vires satis diu retinet, ac com-  
mode igitur electuariis atque pilulis attenuantibus  
diureticis, peccoralibus, purificantibus &c.  
addi potest.

THE-

a) *Libr. cit. Tom. III. p. 473.*





## THESES MISCELLANAEAE.

## I.

**N**on vegetabilia tantum, sed ipsa pariter animantia ex aere  
subtile corporis alimentum trahunt.

**II.** Valde probabile est, ferrum, quod, teste analysi chemica,  
sanguinis mixtione non exigua subinde quantitate ingre-  
ditur, ad colorem huius liquidi multum conserre.

**III.** Plethora foeminarum menstrua, nisi unica, praecipua  
tamen catameniorum cauſsa est.

**IV.** Nulli dantur inter homines hermaphroditi ſive andro-  
gyni veri, ſed plerique, qui tales eſſe creduntur, vel macro-  
clitorides, vel atretae, vel crypſorchides ſunt.

**V.** Crifum in morbis acutis diuersitas et regularis statisque  
diebus ſucceffus nec lunae, nec aliorum aſtrorum influxum  
cauſam agnoscit, ſed a diſtincta potius materiae morbiſ-  
cae qualitate et diſcrepante ſimil naturae robore atque vi-  
vacitate dependet.

**VI.** Spasmi ac motus convulſioi, a cauſa privativa orti, nul-  
lum inter ſalutaria naturae remedia locum habent.

**VII.** Obſtructiones vasorum atque meatuum ſolenniores atque  
praecipuae aegritudinum cauſae exiſtunt; hinc pharmaco  
aperientia uſum ampliſſimum obtinent.

VIII.



*VIII.* In regionibus frigidis morbi magis ex salino-mucida, in calidis magis ex acri et urinosa-putrida humorum dyscrasia oriuntur.

*IX.* Sic dicta anodyna palliativa sub certis circumstantiis evadunt anodyna vera.

*X.* Optima roborantia sunt, quae moderata adfrictione partibus solidis compaciorem rursus texturam conciliant.

*XI.* Phlebotomia solidas quidem partes semper relaxat, corporis tamen robur motuumque vigorem nunc auget, nunc minuit. Prius fit, quando plethora vera, aut sparsimi insolentiores corpori incommoda creant, posteriori, si nulla cruentis abundantia, nullus spasmus, sed maior potius aut minor partium solidarum flacciditas adjungit.

*XII.* Notabile discrimen vulnera absolute lethalia et vulnera per se lethalia intercedunt. Nam licet cuncta quidem vulnera absolute lethalia etiam per se lethalia existant, non vice tamen versa vulnerum per se lethalium singula simul absolute lethalia nuncupari possunt.




01 A 6603

ULB Halle

003 092 291

3







41.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS CHYMICO-  
MEDICA  
DE  
RADICE SAPONARIAE  
QVAM  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER  
MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE REGIAE BORVSS.  
SODALE ET ACAD. ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENT. VTIL.  
ASSESSORE, VNIVERS. H. T. RECTORE ET FACVL.  
MED. DECANO.

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS

D. OCTOBRIS M D C C L X.

H. L. Q. C.

DEFENDET  
AVCTOR  
ERNESTVS RVDOLPHVS SCHLINCKE  
FRAVENSTADIO - POLONVS.

---

FRANCOFVRTI CIS VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REC. TYPOG.